Die digitale Landesbibliothek Oberösterreich

oö landes bibliothek

Terms and Conditions

The Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Library.

Each copy of any part of this document must contain there Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept there Terms and Conditions.

Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Library

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

Imprint:
Director: Mag. Renate Plöchl
Deputy director: Mag. Julian Sagmeister
Owner of medium: Oberösterreichische Landesbibliothek
Publisher: Oberösterreichische Landesbibliothek, 4021 Linz, Schillerplatz 2

Contact:
Email: landesbibliothek(at)ooe.gv.at
Telephone: +43(732) 7720-53100

sunt faciunt: ipsi sibi sunt lex. Ieron. Inter
ipsos et gentiles est infinita diversitas, cum
alios sciamus esse prudentiores, adiuncta a-
lios ad honestatem morum virtutibus dedi-
tos. Greg. Vel hoc dicit quia hac ecclesia nec mali esse
sine bonis nec boni sine malis possunt. Bonus esse non
fuit qui malos tolerare recusavit. Sequitur:
Et implete sunt nuptie discumbentium. Orig.
Nuptie scilicet xpi et ecclesie sunt implete, dum restituti deo
qui ab angelis sunt inventi recubuerint ad epulam
que in nuptiis. Sed quoniam bonos et malos opor-
tet quidem vocari, non ut mali permaneant
mali, sed ut deponant vestimenta contraria nup-
tiis et induant nuptialia, scilicet viscera
misericordie, benignitatis et cetera. Ideo rex egreditur
ut videat discumbentes priusquam apponatur eis
prandium, ut retineant habentes nuptialia ve-
stimenta atque delectetur, et condempnet autem contrarios. Unde
sequitur: Intravit autem rex ut videret discumbentes.
Criso. Non quia alicubi ipse non est, sed ubi vult
providentiam aspicere, ibi dicitur presens, ubi autem non vult
absens videtur. Dies autem aspectionis est dies iudi-
cii, quando visitaturus est xpianos, qui super mensam
scripturarum recumbunt. Orig. Ingrediens autem in-
venit quemdam qui non mutaverat pravos mores.
Unde sequitur: Et vidit ibi hominem non vestitum ve-
ste nup. Singulariter autem dicit, quia unius sunt ge-
neris omnes qui servant maliciam post fidem,
quam habuerant ante fidem. Greg. Quid autem debemus intelli-
gere per nuptialem vestem nisi caritatem, quam habuit in
se deus, dum sociandam sibi ecclesie ad nuptias
veniret. Intrat ergo ad nuptias sed sine veste
nuptiali qui in ecclesia fidem habet, sed caritatem non habet.
Aug. Vel sine veste nuptiali nuptias
adiit qui querit ibi gloriam non sponsi sed suam. Hyla-
rius. Vel vestis nuptialis est gratia spiritus sancti et can-
dor habitus celestis, qui bone interrogationis confessi-
one susceptus usque in cetum regni celorum immacu-
latus et integer est reservandus. Ieron. Vel vestis
nuptialis precepta sunt domini et opera que complentur

ex lege et evangelio, novum quam hominis efficiunt
vestimentum. Quod qui in die iudicii inventus fuerit
sub nomine xpiano non habere, statim corripitur. Unde sequitur:
Et ait illi: amice quomodo huc intrasti non habens
vestem nup. Amicum vocat, quia invitatus est ad
nuptias quasi sit amicus per fidem. Arguit autem impuden-
tie, quod veste sordida mundicias pollueret
nuptiales. Orig. Et quoniam qui peccat et non indu-
it dominum nostrum ihesum xpistum non habet excusationem
aliquam, ideo sequitur: At ille obmutuit. Ieron. In tempore
enim illo non erit locus impudentie, nec negandi facul-
tas, cum omnes angeli et mundus ipse testis sit peccatorum.
Orig. Non autem solum eiectus est a nuptiis, sed ad
hunc a ministris regis, sed minuenda virtutis liga-
tus in cessione quia non est usus ad bonum, et ampliori
forsitan virtute qua nullum opus boni impletur, et
deputatus est in loco absque lumine alieno, qui
vocatur tenebre exteriores. Unde sequitur: Tunc rex
dixit ministris: ligatis manibus et pedibus eius
mittite eum in tenebras exteriores. Greg. Ligantur tunc pe-
des et manus per districtionem sententie qui modo a pravis
operibus noluerunt per meliorationem vite ligari, tunc
ligat pena quos modo a bonis operibus ligavit cul-
pa. Aug. Pravarum vero atque distortarum vo-
luntatum implicatio vinculum est quo alligatur qui
hoc agit ut perveniat in tenebras exteriores. G-
re. Interiores autem tenebras dicimus cecita-
tem cordis, exteriores vero tenebras eternam noc-
tem dampnationis. Criso. Vel per hoc designatur differentia
tormentorum in peccatoribus, quia sunt enim prime tenebre exterio-
res, interiores autem minores et novissimum loci. Sequitur:
Ibi erit fletus et stridor dentium. Ieron. In fletu oculo-
rum et stridore dentium per metaphoram membrorum cor-
poralium magnitudo ostenditur tormentorum. Manus quoque
ligatas et pedes, fletum oculorum et stridorem dentium
ad comprobandam resurrectionis intellige veritatem.
Greg. Ut illic dentes strideant qui de edacita-
te gaudebant, illic oculi defleant qui hic per illi-
citas concupiscentias versabantur, quatenus singula membra
supplicio subiaceant, que hic singulis quibusque vi-

Margin: sr. ch. — q̄ sanctū — q̄ terna nupciis — ligari — xi. de iiij — sr. mathm